



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallemart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

Decretum de iustificatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

Constitutum est apud Lusitanos per Ordin. regiam lib. 5. tit. 103. ne quæstiones alicuius Sancti nomine petitoria facientes permittantur, nisi regie literæ ostendantur: si aliter factum sit, omnes pecunias ab illis quæstas quæstori redemptionis captiuorum tradendas præcipit, vt per Cardos. in præxi iudicium, & aduocat. verbo eleemosyna, nu. 2. practicarum fuisse refert Cabed. p. 1. decis. 193. Similis apud Hispanos extat l. 1. & 2. tit. 8. li. 1. ord. vbi Perez, nunc l. 1. tit. 9. li. 1. & l. 37. tit. 6. li. 3. nouæ Recopil. vbi Azeued. vide Auend. de exequendis mand. lib. 3. c. 30. & apud Gallos idem regij Senatus decretis dispositum asserit Renat. Chopin. de sacra Politia, li. 3. tit. 5. a nu. 23.

¶ *Cuiuscunq. conditionis existant.*] An comprehendat Mendicantes religiosos pro suorum conuentuum sustentatione eleemosynas quæstuantes? Negant Nauar. l. 3. consil. ti. de Regularib. cons. 79. n. 3. latissime Fr. Emman. qu. Reg. tom. 2. q. 57. art. 7.

SESSIO SEXTA,

CELEBRATA DIE XIII. MENSIS

IANVARIJ, M. D. XLVII.

Decretum de iustificatione.

P R O O E M I V M.



VM hoc tempore, non sine multarum animarum iactura, & graui Ecclesiasticæ unitatis detrimento, et ronea quædam disseminata sit de iustificatione doctrina: ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, Ecclesiæ tranquillitatem, & animarum salutem, sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsentibus in ea nomine Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Pauli, diuina prouidentia Pap. III. Reuerendiss. Dominis, Dominis Ioan. Mariæ Episcopo Prænestino, de Monte, & Marcello tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Apostolicis de latere Legatis, exponere intēdit omnibus Christi fidelibus, veram sanamq. doctrinam ipsius iustificationis, quam Solius iustitiæ Christus Iesus, & fidei nostræ auctor, & consummator, docuit.

Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit; districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere, quam præsentis decreto statuitur, ac declaratur.

CAPVT I.

De natura & legis ad iustificandos homines imbecillitate.

PRIMUM declarat sancta Synodus, ad iustificationis doctrinam probè & sincerè intelligendam, oportere, vt vnusquisque agnoscat, & fateatur, quod a cum omnes homines in præuacatione *a* *Ada* innocentiam perdidissent; *b* facti immundi, & vt Apostolus inquit *c*, natura filij iræ, quemadmodum in decreto de peccato originali expoluit, vsque ad eò seruiertant peccati, & sub *d* potestate Diaboli ac mortis, vt non modo gentes per vim naturæ, sed ne Iudæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moyti, inde liberari, aut surgere possent; tamen si in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset, e viribus licet attenuatum, & inclinatum.

a Cœlest. 1. ep. 1. c. 4.
b 2. Corin. 5.
Rom. 5.
b Isa. 64.
c Eph. 2. 4.
Sup. Sess. 5. in princ.
d Rom. 8. & 3.
Heb. 2.

a Concil. 1.
Araus. c. 25.

REMISSIONES.

a *Ada* innocentiam perdidissent] Concordat Cœlest. Pap. I. epist. 1. cap. 4. & illud ad Rom. 5. vers. 12. In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt, & illud 1. ad Corint. 15. vers. 22. In Adam omnes moriuntur, & illud Isa. 64. vers. 6. Facti sumus, &c.

CAPVT II.

De dispensatione, & mysterio aduentus Christi.

QVO factum est, vt cœlestis Pater, s pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; Christum Iesum, filium suum, & ante legem, & legis tempore multis sanctis Patribus declaratum, ac promissum, cum venit beata illa plenitudo *h* temporis, ad homines miserit, vt & Iudæos,

1. Cor. 1. c.
1. Tim. 1. c.
1. Pet. 1. c.

Iudæos, qui sub lege erant, redimeret, & agentes, quæ non
 sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque om-
 nes adoptionem filiorum reciperent, hunc *b* proposuit
 Deus propitiorem per fidem in sanguine ipsius pro pec-
 catis nostris: non *c* solum autem pro nostris; sed etiam pro
 totius mundi.

a Rom. 9.
b Rom. 9. & 10.
c Coloss. 2.
 1. Tim. 2. &
 2. Tim. 1.
c multiplex.
 de pan. dist. 7.
 §. 1. 1627. 1. 2.

CAPVT III.

Qui per Christum iustificantur.

a **V**erum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non om-
 nes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ij-
 dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur.
 Nam, sicut reuera homines, *e* nisi ex semine Adæ propaga-
 ti nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propaga-
 tione, per ipsum dum concipiuntur, propriam iniustitiam
 contrahant: ita, nisi in Christo renascerentur, numquam
 iustificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis
 eius, gratia qua iusti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc benefi-
 cio Apostolus gratias nos *f* semper agere hortatur Patri,
 qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lymi-
 ne, & eripuit de potestate tenebrarum, transfuditque in re-
 gnum filij dilectionis suæ; in quo habemus redemptionem,
 & remissionem peccatorum.

d 2. Cor. 5.

e *Abusio ad*
verba Aug.
epist. 87. Om-
nes qui rena-
scuntur in iu-
stificatione,
&c. quæ ali-
bi crebrò in-
culcat in-
can. 1.
 & Coloss.

REMISSIONES.

a Vide Sayr. de Sacram. in genere lib. 2. cap. 2. quæst. 9. artic. 3. vers.
 Tertio.

CAPVT IV.

Insinuatur descriptio iustificationis impij, & modus eius in
statu gratiæ.

a **Q**uibus verbis iustificationis impij descriptio insi-
 nuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo
 nascitur *g* filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptio-
 nis filiorum Dei per secundum Adam *IESVM* Christum,
 saluatorem nostrum, quæ quidem translatio post Euan-
 gelium

g Gal. 4.
 Tit. 1.

a Ioan. r. c. f. huius, & c. non dubita. de consec. dist. 4.

gelium promulgatum, *β sine lauacro regenerationis, γ aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est: α Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.*

R E M I S S I O N E S.

α Vide Sayr. de Sacram. in genere li. 2. cap. 2. qu. 9. ar. 3. in fin. P. Ægid. de Conink. de Sacramentis, & censuris tom. 1. q. 68. à nu. 23. Gabr. Vasquez in 3. par. D. Thom. tom. 2. disp. 151. nu. 18. & disp. 158. nu. 27.

β Sine lauacro.] Vide Sot. in 4. dist. 5. qu. 1. art. 2. col. 5. D. Thom. p. 3. q. 68. ar. 2. Veg. in Conc. Trid. li. 9. c. 4. fol. 220.

γ Aut eius voto.] Vide Pat. Ægid. dist. tom. 1. q. 62. nu. 66.

C A P V T V.

De necessitate preparationis ad iustificationem in adultis, & vnde fit.

α Declarat præterea, ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum letum præueniente gratia sumendum esse: hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur; vt, qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur; *β* ita vt, tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neq; homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui eillam & abijcere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Vnde in Sacris litteris, cum dicitur *d: β Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: γ Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: Dei nos gratia præueniri confitemur.*

β Infr. can. 1.

α Prosp. li. 2. de voca. gentium c. 21. & 29.

d Zab. 1. a. Joel 2. c. conuertimini, de pen. dist. 1. Thren. 5. d. Hiero. in ps. 135. & c. 31. c.

R E M I S S I O N E S.

α Vide Sot. in 4. dist. 4. q. 2. art. 5. col. 10. Nau. in man. ca. 2. nu. 39. Balduin. Iunium super opera controuerf. Bellarm. p. 2. l. 5. c. 3. vers.

vers. Quæst. 2. P. Agid. de Sacramentis, & censur. to. 2. disp. 2. dub. 4. nu. 34.

β *Conuertimini ad me*] Concordat text. in cap. conuertimini, de pœn. dist. 1. & illud Zach. 1. vers. 3. *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos, & illud Ioel 2. vers. 12. Conuertimini ad me in toto corde vestro.*

γ *Conuertere nos Domine ad te.*] Concordat illud Ierem. 31. vers. 18. *Conuerte me, & conuertar; & illud eiusdem Ierem. in orat. vers. 21. Conuertere nos Domine ad te, & conuertemur.*

CAPVT VI.

Modus preparationis.

Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, a fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt; atq; illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiã eius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu; & dum peccatores se esse intelligentes, à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumq; tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt; β ac propterea mouetur e aduersus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiã, quam ante Baptismum agi oportet: deniq; dum proponunt suscipere Baptismũ, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata. De hac dispositione scriptum est: *d Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirẽtibus se remunerato sit. Et, e Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et, f Timor Domini expellit peccatum. Et, g Pœnitentiã agere, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Et, h Eunt ergo docere omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare, quæcumque mandauì vobis. Denique, i Præparate corda vestra Domino.*

C 4

REMIS-

REMISSIONES.

Vide Balduin. Iunium super opera controuers. Bellarm. p. 2. l. 5. cap. 3. vers. quæst. Pat. Ægid. de Sacram. & censuris, tom. 2. disp. 2. dub. 6. n. 56.

β *Ac propterea.*] Vide Nau. in manu. c. 1. nu. 38.

γ *Ante baptismum.*] Vide Nau. in c. ult. de pœn. dist. 7. num. 10. Par. Henriq. in sum. lib. 1. num. 5. Par. Soar. disput. 7. sect. 4. §. occurrebat. P. Ægid. q. 62. art. 1. dub. 2. n. 31. cum seqq.

δ *Vnde in ipsa iustificatione, &c.*] Vide Gabr. Vasqu. in 3. p. D. Thomæ tom. 2. q. 19. disp. 158. n. 50.

ε *Et pœnitentiam agite.*] Concordat text. in cap. agunt, & cap. propriè, de consecr. dist. 4. & illud Actor. 2. vers. 38.

ζ *Euntes ergo docete omnes gentes.*] Concordat illud Marth. vltim. vers. 19. & illud Marc. vlt. vers. 15. & c. 1. c. si qua, cap. propriè, de consecr. dist. 4.

CAPVT VII.

Quid sit iustificatio impij, & qua eius causa.

Hanc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur; quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit *a* hæres secundum spem vitæ æternæ. Huius iustificationis causæ sunt, finalis quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna: efficiens verò, misericors Deus, qui gratuito *b* abluit & *c* sanctificat, signans & vngens *d* Spiritu promissionis sancto; qui est pignus hereditatis nostræ: meritoria autem, dilectissimus Vnigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus: qui, cum *e* essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis *f* iustificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit. instrumentalis item, Sacramentum Baptismi; quod *g* est Sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam contigit iustificatio: demum vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renouamur spiritu
mentis

a Tit. 3.

b 1. Cor. 6.

c Tit. 3.

d Eph. 1.

e Eph. 1. d.

Rom. 5.

f Eph. 2. 2.

Rom. 4. d.

g c. nihil est,

de consec.

dist. 4.

mentis nostræ; & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus iustitiam in nobis recipientes, v-
 nusquisque suam secundùm mensuram, quam a Spiritu Sancto participat singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. a 1. Cor. 12. Ephes. 4. *β* quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur: id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur, c Rom. 3. atque ipsis inhæret. *γ* vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & caritatem. d infr. c. 10. *d* nam fides, nisi ad eam spes accedat & caritas, neque vivit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit. qua ratione verissimè dicitur, e Luc. 2. in fin. *e* Fidem sine operibus mortuam & otiosam esse. Et, In *f* Christo Iesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium; sed fidem, quæ per caritatem operatur. Hanc fidem ante Baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam æternam præstantem; quam sine spe & caritate fides præstare non potest. vnde & statim verbum Christi audiunt: g Matth. 19. *g* Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Itaque veram & Christianam iustitiam accipientes, eam *h* ceu primam stolam, pro illa quam h Lu. 15. c. quo modo renouari. de pænit. dist. 2. Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam & immaculatam iuventur statim renati conseruare, vt eam perferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternam.

REMISSIONES.

* Vide Nauar. in man. cap. 11. num. 13. ad finem. P. Aegi. de Coniung. de Sacramentis, & censuris, tom. 1. q. 62. art. 4. dub. vnic. num. 128. & q. 69. num. 8. & tom. 2. disp. 2. dub. 2. nu. 17. & dub. 10. num.

20. num. 84. cum seqq. Fr. Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. cap. 2. dub. 3. concl. 1. reg. 1.

β *Quoniam enim nemo possit esse iustus, &c.*] Vide Vasquez in 3. p. D. Thomæ tom. 2. disp. 231. num. 37.γ *Vnde in ipsa, &c.*] Vide Pat. Azori. instit. moral. lib. 9. cap. 3. quæst. 3.

CAPVT VIII.

*Quomodo intelligatur, impium per fidem, & gratis iustificari.*a *Rom. 3.*

CVM verò Apostolus a dicit, iustificari hominem per fidem, & gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit; ut scilicet per fidem idè iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis: b sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire: gratis autem iustificari idè dicamur; quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur; si c enim gratia est, iam non ex operibus; alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia.

b *Hebr. 11. infr. Can. 9.*c *Rom. 11. Ephes. 2. Tit. 1.*

CAPVT IX.

Contra inanem hæreticorum fiduciam.

Tit. 3.

QVAMVIS autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa umquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam d & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti vel dimissa esse, dicendum est; cum apud hæreticos & schismaticos possit esse, imò nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui verè iustificati

d *infr. Can. 12. & 13.*

ficati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semet-
 ipsos statuere, se esse iustificatos, neminemque à peccatis
 absolui ac iustificari, nisi eum, *a* qui certò credat se abso- *a* *infra. Can.*
 lutum & iustificatum esse; atque hac solâ fide absolutio- *14*
 nem & iustificationem perfici: quasi qui hoc non credit,
 de Dei promissis, deque mortis & resurrectionis Christi
 efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericor-
 dia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute &
 efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum suam-
 que propriam infirmitatem & indispositionem respicit,
 de sua gratia formidare & timere potest; cùm nullus scire
 valeat certitudine fidei, cui non potest subesse fallum, se
 gratiam Dei esse consecutum.

CAPVT X.

De accepta iustificationis incremento.

SIc ergo iustificati, & amici Dei ac domestici facti,
b euntes de virtute in virtutem, renouantur, vt *A* *b* *Psal. 13. c.*
 postolus inquit, de die in diem: hoc est, mortificando *infra Can. 14*
 membra carnis suæ, & *c* exhibendo ea arma iustitiæ in *2. Cor. 4. in fi.*
 sanctificationem, per obseruationem mandatorum Dei, *Coloss. 3.*
 & Ecclesiæ, & *in ipsa iustitia* per Christi gratiam accepta, *c* *Rom. 6. d.*
 cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis
 iustificantur, sicut scriptum est: *d* Qui iustus est, iu- *d* *Apoc. 19.*
 stificetur adhuc. Et iterum: *e* Ne verearis vsque ad *e* *Eccles. 1. 6.*
 mortem iustificari. Et rursus: *f* Videtis quoniam ex *f* *1. 1. d.*
 operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc
 verò iustitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cùm
 orat: Da nobis Domine fidei, spei, & caritatis augmen-
 tum.

REMISSIONES.

* *In ipsa iustitia.*] Vide Sayr. in clauis regia, lib. 3. cap. 4. & P. Azor.
 inst. moral. p. 1. lib. 4. c. 34. 501. 352.

CAPVT

CAPVT XI.

De obseruatione mandatorum, deq; illius necessitate, & possibilitate.

NEMO autem, quantumuis iustificatus, liberū se esse ab obseruatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. nam *a* Deus *b* impossibilia non *c* iubet, sed *d* iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis; & adiuuat, vt possis. *e* Cuius mandata graua non sunt, cuius f iugum suaue est, & onus leue. qui enim sunt filij Dei, Christum diligunt: qui *g* autem diligunt eum, vt ipsemet testatur, seruant sermones eius, quod vtiq; cum diuino auxilio præstare possunt. Licet enim in hac mortali vita quantumuis sancti & iusti in leuia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoq; cadant, non propterea delinunt esse iusti *h*: nam *i* iustorum illa vox est & humilis, & verax: Dimitte nobis debita nostra. quo fit, vt iusti ipsi cò magis se obligatos ad ambulandum in via iustitiæ sentire debeant, quò liberati iam à peccato, *k* serui autem facti Deo, *l* sobriè, iuste, & piè viuentes proficere possint per Christum Iesum: per quem *m* accessum habuerunt in gratiam istam. *n* Deus namq; *o* sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. itaq; nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditatemq; consecuturum, etiam si Christo non *p* compatiatur, vt & conglorificetur. nam & Christus ipse, vt inquit Apostolus, *q* cum esset filius Dei, didicit exiis, quæ passus est, obedientiam; & consummatus, factus est omnibus, obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ. Propterea Apostolus ipse monet, iustificatos, dicens: Nescitis, quòd ij, qui *r* in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium; sic currite vt com-
pre-

a Ex Aug. 1.
43. l. De nat.
& gratia.

b 1. Ioan. 7.
infr. can. 18.

c Araf. 2. c.
25.

d Vide Hieron. in Epist.
ad Cresiphon.

e 1. Ioan. 5.
e Mat. 23.

Ioan. 11.

f Ioan. 14.
Conc. Afric.
canon. c. 91.

32. & 33.

g Conc. Mil.
leuit. cap. 7.
8. & 9.

h Mat. 6.
Luc. 11. o. v.

num. 25. dist.

i ad huc & c.
de quotidiana
nu. de pan.
dist. 1.

k Rom. 6.
l Tit. 2.

m infr. can.
70.

n Rom. 5.

o Aug. lib.
De nat. &
gratia. c. 26.
& Prof.

sent. 7. ad c.
Gallorum, &
respon. ad 7.

obiect. Vincen.

p Rom. 8.

q Phil. 2.
r Hebr. 12.

s 1. Cor. 9.

prehendatis. *a* Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè, cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Item princeps Apostolorum Petrus: *b* Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. *c* Vnde constat, eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui dicunt, iustum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, pœnas æternas mereri: atque etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus iustos peccare, sine illis suam ipsorum locordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam: *d* cum scriptum sit: Inclinaui cor meum ad facien-
2. Cor. 5.
b. Pet. 1.
c. infr. Can. 15
d. infr. Can. 31. Psal. 118.
e. Heb. 11.

CAPVT XII.

Prædestinationis temerariam præsumptionem cauendam esse.

NEMO quoque, quamdiu in hac mortalitate viuatur, de arcano diuinæ prædestinationis mysterio vsque adeò præsumere debet, vt certò statuat se omnino esse in numero prædestinatorum; quasi verum esset, quòd iustificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccauerit, certam sibi respicientiam promittere debeat. nam, nisi ex speciali reuelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.

CAPVT XIII.

De perseverantia munere.

SIMILITER de perseverantiæ munere, de quo scriptum est: *g* Qui perseverauerit vsque in finem, hic sal-

g. Matth. 24. c. sug- gestum. 7. q. 1. c. non reuertebantur de pan. dist. 2. infr. Can. 16. 22. Ez. 44. 3.

a Rem. 14.
 Phil. 1.
 1. Cor. 10.
 Phil. 1.
 1. Cor. 10.
 Phil. 1.
 1. Pet. 1.
 Rom. 1.

Cuius erit: quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, & qui stat, statuere ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere: nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tamen in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut incepit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Veruntamen qui se existimant stare, videant ne cadant; & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in ieiunijs & castitate. Formidare enim debent, scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum Diabolo: in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti: *debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. si enim secundum carnem vixeritis; moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

REMISSIONES.

g Intra Can.
 13. & 29.
 h Hieron. 10.
 mo 1 in Epist.
 ad Demeir.
 que in ipis.
 Inter omnes
 forjan ex
 Terrul. lib.
 de panis.
 c. secunda
 post naufragium,
 de pan.
 dist. 1.
 i Ioan. 20.
 Mat. 16. c. ut
 colisteneret.
 10. dist.
 e. ut eviden-
 ter 1. 7. l. c.
 sum in fr. Sess.
 14. de pan. c.
 3. 3. & 4.

Vide P. Aegid. de Conink de Sacram. & censuris tom. 2. disp. 2. num. 154.

CAPUT XIV.

De lapsis, & eorum reparatione.

QVI verò ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum, excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsis reparatio: quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres aptè nuncuparunt. Etenim pro ijs, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus Sacramentum instituit Pœnitentiæ, cum dixit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Unde docendum est,

est, Christiani hominis penitentiam post lapsum multo
 aliam esse à baptismali; eaque contineri non modò cessa-
 tionem à peccatis, & eorum detestationem, *a* aut cor con-
 tritum & humiliatum; verùm etiam eorundem sacra-
 mentalem Confessionem saltem in voto, & suo tempore
 faciendam, & sacerdotalem Absolutionem; itemque Sa-
 tisfactionem per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia
 spiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pena æterna,
 qua vel Sacramento, vel Sacramenti voto vnà cum culpa
 remittitur; *β* sed pro pena temporali; quæ, vt Sacræ literæ
 docent, non tota temper, vt in *b* Baptismo fit, dimittitur
 illis, qui gratiæ Dei quam *c* acceperunt, ingrati Spiritum
 sanctum contristauerunt, & *d* templum *e* Dei violari non
 sunt veriti. De qua penitentia scriptum est: Memor esto
 unde excideris: age penitentiam, & prima opera fac. Et
 iterum: *f* Quæ secundum Deum tristitia est, penitentiam
 in salutem stabilem operatur. Et rursus: *g* Penitentiam
 agite, & facite fructus dignos penitentia.

a Psal. 50. *e*
 sacrificium.
 de pan. dist. 4.

b Ita & Flo-
 rent. Concilio
 in decretis
 Eugenij
 & Ephes. 4. *g*
 d. 1. Cor. 3.
 & Apoc. 2. c.
 quia sancti-
 tas, 50. dist. *c*
 c. miror. de
 pan. dist. 1.
 1. 2. Cor. 1. 7.
 & Mar. 3. *g*
 Luce. 1.

REMISSIONES.

*V*ide Sayr. de Sacram. in genere, lib. 2. cap. 2. q. 8. art. 3. vers. Quo
 supposito.

β Sed pro pena temporali. *Enc.*] Vide Fr. Emman. in explic. Bullæ
 Cruciatæ, fundam. 1. fol. 1. P. Aegid. de Sacram. tom. 2. disp. 4. n. 23.

CAPVT XV.

Quolibet mortali peccato amitti gratiam, sed
 non fidem.

ADVERSUS etiam hominum quorundam callida
 ingenia, qui *b* per dulces sermones & benedictio-
 nes seducunt corda innocentium, asserendum est, non
 modò infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed
 etiam quocumque alio mortali peccato, quamuis non
 amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti;
 quia legis doctrinam defendendo: *i* quæ à regno Dei non
 solùm

b instr. Cassi
 27.

Rom. 16.

1. Tim. 1.

21. Cor. 6.

solum infideles excludit, sed *a* & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata; à quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abstinere possunt, & pro quibus Christi gratia separantur.

CAPVT XVI.

De fructu iustificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deq; ipsius meriti ratione.

HAc igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba:

11. Cor. 15.

c. Heb. 6. c.

non est tam

iniustus, de

pen. dist. 2.

d. Heb. 10. in

fin. infr. c. 26.

b Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. *c* non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Et, Nolite dimittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideò benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tamquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona & iustitiæ, quam post

11. Tim. 4.

suam certamen & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto iudice sibi reddendam: non solum autem sibi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent; nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamén in gratia decesserint,

erint, consequendam, verè promeruisse censeantur: cum
 Christus Saluator noster dicat: *a* Si quis biberit ex aqua
 quam ego dabo ei, nō sitiet in æternum, sed fiet in eo fons *a* *scant*
 aquæ salientis in vitam æternam. Ita neq; propria nostra
 iustitia, tamquam ex nobis propria statuitur: neque igno-
 ratur aut repudiatur iustitia Dei. Quæ enim iustitia nostra
 dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur: illa
 eadē Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi me-
 ritum. Neq; verò illud omittendum est, quòd licet bonis
 operibus in Sacris literis vsque aded tribuatur, vt etiam *b*
 qui vni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, pro- *b* *Matth. 25. in*
 mittat Christus eum non esse sua mercede cariturum: & *fi. & Matth. 9.*
 Apostolus *c* testetur, id quod in præsentī est momenta- *c. 2. Cor. 4.*
 neum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in subli-
 mitate æternæ gloriæ pondus operari in nobis: absit tam- *d. 1. Cor. 13. in*
 en, vt Christianus homo in se ipso vel confidat, *d* vel *fin.*
 gloriatur, & non in Domino; cuius tanta est erga omnes *2. Cor. 10. in*
 homines bonitas, vt *e* eorum velit esse merita, quæ sunt *fin.*
 ipsius dona. *f* Et quia in multis offendimus omnes; vnus- *Gal. 6.*
 quisque sicut misericordiam & bonitatem, ita seueritatem *Mier. 9.*
 & iudicium ante oculos habere debet, neque se ipsum ali- *e Ex Epist.*
 quis, *g* etiam si nihil sibi conscius fuerit, iudicare: quo- *Calist. 1. c. 18.*
 niam omnis hominū vita non humano iudicio examinā- *Flaci.*
 da & iudicanda est, sed Dei: *h* qui illuminabit abscondi- *2. Cor. 4.*
 ta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc *h* *Ibid.*
 laus erit vniciquæ à Deo, qui, vt scriptum est, *i* reddet v- *i* *Matth. 18.*
 nicuique secundum opera sua. *Rem. 2.*

Post hanc Catholicam de iustificatione doctrinam, quā
 nisi quisque fideliter firmiterque receperit, iustificari non
 poterit; placuit sanctæ Synodo hos Canones subiungere,
 vt omnes sciant, non solum quid tenere & sequi, sed et-
 iam quid vitare & fugere debeant.

REMISSIONES.

V Ide P. Vasquez in 3. p. D. Thomæ, tom. 2. q. 152. n. 20. P. Egid. de
 Sacram & censuris, tom. 2. disp. 2. dub. 20. nu. 160. 160. cum seqq.
 & disp. 4. num. 15.

D

DE IV-

DE IUSTIFICATIONE.

a *supr. a. 2. & 3. Rom. 3. 4. Cor. 15.* *a* Si quis dixerit, *a* hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, absq; diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo; anathema sit.

REMISSIONES.

a Vide Sot. in 4. dist. 14. q. 2. art. 5. n. 3. Nau. in man. prelud. 3. num. 10. cum seqq.

CANON II.

b *Conc. Milenitanum cap. 5. Conc. Afric. c. 30. & c. ult. de non sec. dist. 4.* Si quis dixerit, ad hoc solum diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius homo *b* iuste viuere, ac vitam æternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrumque, sed ægrè tamen & difficulter possit; anathema sit.

CANON III.

c *Conc. A. Paris. 2. c. 6. supr. a. 5. Rom. 5.* *c* Si quis dixerit, sine præueniente *c* Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.

REMISSIONES.

a Vide Veg. de Iustificat. q. 9. & 11. Castr. aduersus hæreses, verbo gratia, Nau. in man. cap. 27. num. 290. P. Aegid. de Sacram. & censur. tom. 2. disp. 2. dub. 4. num. 34.

CANON IV.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiuè se habere; anathema sit.

CANON

CANON V.

Si quis liberum hominis a arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum deniq; a latana inuectum in Ecclesiam; anathema sit.

a Vide Aug. lib. 1. contra 2. Epist. Pelag. c. 2.

CANON VI.

Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita, vt bona, Deum operari, non permittit solum, sed etiam proprie & per se, ad eò vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli; anathema sit.

b Vide Aug. lib. 2. contra 2. Epist. Pelag. & Prosper. Sentent. 1. 4. ad cap. Galorum, & respon. ad 20. obiect. Vincent. Ioan. 1. Conc. Arausicanum 2. circa finem.

REMISSIONES.

Vide Soran. 4. dist. 15. q. 1. art. 1. colum. 3.

CANON VII.

Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur in se disponere gratiam, tanto eum grauius peccare; anathema sit.

REMISSIONES.

Vide Nauar. in Comment. de Iubilæo, & indul. fol. 73. P. Azor. Inst. Moral. p. 1. lib. 8. c. 25. col. 826.

CANON VIII.

Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit.

c Tsal. 17. Luc. 12. & Mar. 9. in fi.

REMISSIONES.

Vide P. Azor. d. c. 25. col. 826.

CANON IX.

Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi; anathema sit.

d Sup. c. 1. & 2.

REMISSIONES.

• Vide P. Gabr. Vasqu. in 3. D. Thomæ, tom. 2. disp. 134. n. 36.

CANON X.

*a Sup. c. 7.
Gal. 2. & 5.
Eph. 1. & 4.* Si quis dixerit, homines a sine Christi iustitia, per quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse; anathema sit.

CANON XI.

b Rom. 5. Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusâ gratiæ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei; anathema sit.

REMISSIONES.

• Vide Sot. in 4. dist. 14. q. 2. art. 5. col. 3. Nauar. in man. prelud. 5. n. 7. Sayr. de Sacram. in genere, lib. 2. c. 2. qu. 9. art. 3. vers. Quoad.

CANON XII.

c Sup. c. 9. Si quis dixerit, e fidem iustificantem nihil aliud esse quam fiduciam diuinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur; anathema sit.

CANON XIII.

• Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, & absque vlla hesitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.

REMISSIONES.

• Vide Nau. in tract. de orat. cap. 22. num. 41.

CANON XIV.

d Sup. c. 9. Si quis dixerit, d hominem à peccatis absolui ac iustificari

ficari ex eo, quod se absolui ac iustificari certo credat; aut neminem verè esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici; anathema sit.

CANON XV.

Si quis dixerit, a hominem renatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum; anathema sit.

2 Aug. c. 19. lib. de corrup. & gratia, sup. c. 10.

REMISSIONES.

a Prædestinatorum.] Vide Nauar. in c. nouit. de iud. notab. 2. nu. 5.

CANON XVI.

Si quis magnum illud vsq; in finem perseverantię donum se certo habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc a speciali reuelatione didicerit; anathema sit.

b Aug. lib. de bono perfetu. c. 13 sup. c. 12. & 13 Gal. 3. Exech. 14.

REMISSIONES.

a Ex speciali.] Vide Nauar. in man. c. 1. n. 30. & c. 11. n. 7. & in tract. de orat. Miscel. 39. n. 150. ad fin.

CANON XVII.

Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, ut potè diuina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.

c Concil. Araus. 2. c. 25.

CANON XVIII.

Si quis dixerit, d Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia; anathema sit.

d Supr. c. 11. i. Ioan. 5.

REMISSIONES.

a Vide Castr. aduersus hæreses, verbo præceptum, Nauar. in man. cap. 11. ad finem, P. Egid. de Sacram. & censur. rom. 2. dispu. 2. dub. 19. num. 154.



C A N O N X I X .

Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.

C A N O N X X .

¶ Simili error erat Be-gardorum à Concil. Vien-nensi damnatorum, sup. cap. 77.

Si quis hominem iustificatum, & *a* quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum; quasi verò Euangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.

R E M I S S I O N E S .

a Vide Sayr. in clavi regia lib. 3. c. 4. P. Azor. instit. moral. p. 1. lib. 4. cap. 34. col. 352. P. Valer. Reginal. in praxi fori pœnit. lib. 13. c. 17. B. 167.

C A N O N X X I .

Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatores cui obediant; anathema sit.

C A N O N X X I I .

b *Sup. 15.* Si quis dixerit, *b* iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.

R E M I S S I O N E S .

a Vide P. Ægid. de Sacram. & censuris, tom. 1. q. 62. art. 2. nu. 105, & qu. 73. nu. 47. & 50.

C A N O N X X I I I .

e *Sup. c. 14.* Si quis hominem semel iustificatum dixerit *c* amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur & peccat, numquam verè fuisse iustificatum; aut contrà, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Viig. tenet Ecclesia; anathema sit.

R E M I S -

REMISSIONES.

• Vide D. Thom. p. 3. q. 84. art. 16. & in 4. distinct. 4. q. 1. Sayr. in clau-
ui regia, lib. 6. cap. 3. num. 9.

CANON XXIV.

Si quis dixerit, *a* iustitiam acceptam non conseruari ^{a supra c. 27.}
atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed o-
pera ipsa fructus solummodò & signa esse iustificationis
adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit.

CANON XXV.

• Si quis in quolibet bono opere iustum *b* saltem ve- ^{b supra c. 11.}
nialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mor- ^{in fine.}
taliter, atque idèd pœnas æternas mereri; tantumque ob
id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad da-
mnationem; anathema sit.

REMISSIONES.

• Vide Nauar. in c. 1. 14. quest. 1. num. 20.

CANON XXVI.

Si quis dixerit, *c* iustos non debere pro bonis operi- ^{c supra c. 14.}
bus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & sperare æter-
nam retributionem à Deo per eius misericordiam, & Iesu
Christi meritum, si benè agendo, & diuina mandata cu-
stodiendo vsque *d* in finem perseuerauerint; anathema ^{d Matth. 14.}
sit.

CANON XXVII.

• Si quis dixerit, *e* nullum esse mortale peccatum, nisi ^{e 1. Cor. 8.}
infidelitatis, aut nullo alio, quantumuis graui & enormi, ^{supra cap. 15.}
præterquàm infidelitatis peccato semel acceptam gratiam
amitti; anathema sit.

REMISSIONES.

• Vide P. Gabr. Vasquez in 3. p. D. Thom. tom. 2. disp. 156. num. 63.
in fine.

CANON XXVIII.

Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum; anathema sit.

REMISSIONES.

Vide Cozar. in cap. alma. p. 7. in initio in princip.

CANON XXIX.

supra c. 14. Si quis dixerit, a eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare siue sacramento Pœnitentiæ, prout sancta Romana & vniuersalis Ecclesia, à Christo Domino & eius Apostolis edocta, hucusque professæ est, seruauit & docuit; anathema sit.

CANON XXX.

in Sess. 14. c. 2. Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitentiæ culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, b vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in c purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit; anathema sit.

infra Sess. 15. in princip.

REMISSIONES.

Vide Reperit. Inquisit. verbo culpa cum addit. P. Ægid. de Sacram. & censur. tom. 2. disp. 11. num. 1. & num. 36.

CANON XXXI.

supra c. 11. in fin.

Si quis dixerit, iustificatum peccare, d dum intuitu æternæ mercedis benè operatur; anathema sit.

REMISSIONES.

Vide Nauar. in Man. cap. 17. num. 209. Ludou. Bciam responsor. casuum conscient. p. 1. cap. 24. fol. 234. P. Sanch. in præcepta Decalogi, lib. 2. cap. 35. num. 3.

CANON